

Q. D. B. V.

IO. LOCKI

SVBLESTAS

DE

RATIONE SENTENTIAS

A VSPICIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

PRINCIPIS REGII ATQVE ELECTORALIS

DN. FRIDERICI AVGVSTI

PRAESIDE

M. CHRISTLIEB GOTTWALD
WABST, DRESD.


PVBLICE EXCVTIET

RESPONDENS

JOHANNES GODOFREDVS SCHÜLER, DRESD.

AD D. XX. OCTOBR. MDCCXIV.

VITEMBERGAE,
FORMIS SAMVELIS KREVSIGIL





I. N. I.

§. I.



Emo, opinor, adeo Rei Literariae rudis est, qui nomen Io. Lockii ignoret; Scripta enim quamplurima edidit, non, uti aiunt, de triuio, sed quae Auctoris ingenium, et iudicij praestantiam, satis superque produnt. Vtinam modo a sententiis nouis, insolitis que, pro eo, ac par est, ubique se temperasset, sic minus haberet inuidiae, et plus existimatio-
nis. Sed quod subinde praestantia experiuntur ingenia, ut, quo feruntur, impetum sustinere, aut sufflaminare nequeant, idem Lockius suo, quam maxime, exemplo comprobat.

§. II. Nolo nunc in iis recensendis esse prolixior, nec animus iam est, controversiam illam expo-
nere, quam cum Eduardo Stilingfleeto habuit, cui

A 2

de

de Socinianismo suspectus uidebatur, occasionem
praebente libro, quem de *Rationabilitate Religionis Christianae* inscripsérat. Quo iure, quae in-
iuria, nunc non dispuo, quamuis non negem,
eum de Ratione talia scribere, quae ex Socinianorum
desumpta esse pharetris, non immerito quis
suspicetur. Placet nunc quaedam saltem in me-
dium afferre, quae ad eius, de Intellectu Humano,
libros, pertinent. Qui nostri conatus uel ideo
haud sunt culpandi, quod isti libri omnium nunc
manibus teruntur.

§. III. Atque inde simul non leue capere in-
dicium possumus, quanti isti libri aestimentur.
Ita enim illi eruditorum consecuti sunt applau-
sum, et calculos, ut, cum Anglice sint conscrip-
ti, Galli pariter eosdem in suam, qua utuntur,
linguam transferendos curauerint. Quid? quod
latine etiam prostent, ut a pluribus euolui possint.
Taceo frequentes éditiones, quibus excusi sunt,
inter quas recentissima est Lipsiensis, quae mino-
ris est pretii, eamque ob causam laudem meretur,
si modo maior cura in emendandis uitiiis fuisset
posita.

§. IV. Interim utut multa eximie dicta esse
haud negem, quae frustra apud alios quaeruntur,
fatendum tamen est, in his non pauca dari, quae
obelum, et censuram forsan grauiorem merentur.

Duas

Duas tantum, reliquis missis, hypotheses commemo-
rabo, quarum altera principia concernit innata, al-
tera Rationis, cum reuelatione, comparationem. Et
de istis quidem ita differit, ut nixus Peripatetico-
rum, de anima, tanquam tabula rasa, principiis, o-
mnem cognitionem a sensatione, et experientia re-
petat, et ita omnia principia innata inficietur. Qua
in sententia etsi ad stipulantes sibi habeat Rudige-
rum, Gundlingium, alios; non defuere tamen, qui,
iustis instructionibus, hypothesin hanc, periculo
non carentem, proscripterunt. Ex quibus, pater
Dn. D. Förtschium, laudasse hic locorum suf-
ficiat Virum, de Ecclesia immortaliter prome-
ritum, et faxit DEVS! quam diutissime merentem,
Dn. D. V. E. Loescherum, peculiari, quam sub au-
spiciis Professionis Theologicae habuit, Oratione,
cui addi Praenotiones eius poterunt.

§. V. Altera sententia, quam in praesenti op-
pugnandam sumpsi, his absolutur momentis,
quae L. IV. cap. XVIII. leguntur.

(I) Posse neminem, diuino spiritu afflatum, per
reuelationem aliis nouas quasuis ideas simplices
impertiri, quas non ipsi per sensationem aut re-
flexionem prius sunt adepti.

(II.) Veritates easdem, quas per rationem, atque
ideas naturales assequimur, nobis per reuelationem
aperiri atque tradi pariter posse. In quibus tamen

rationi maiorem certitudinem vindicat, ita, ut ea proscribere non uereatur, quae clarae, et distinctae, cognitionis nostrae contradicunt. Quorsum refert Propositionem illam: Idem corpus in duobus simul locis esse.

(III.) Distinguit inter cognitionis obiecta, quorum quaedam ratio, nullo facultatum naturalium usu, attingit, alia uero assequitur. Priora sunt proprietate fidei appellanda dogmata, tanquam super rationem posita. Posteriora autem non uno sece modo habent, alia enim ratio assequitur certo, alia probabiliter tantum. In his reuelationem praeferrationi, cui tamen potestatem tribuit iudicandi de reuelationis diuinitate. In illis unice ratio regnat.

§. VI. Facile unusquisque deprehendet, multa hic esse, quae Philosophiae Cartesianaee originem debent. Haec enim cum quaedam philosophemata afferret, quae non obscure reuelationi essent contraria, istas de rationis, praereuelatione, praestantia, et certitudine, quaestiones, et lites perperit. Nam quamuis Cartesius uideri uellet reuelationem anteferre rationi, eius tamen asseclae ulterius progressi sunt. Hinc illa εγκλήματα. Rationem in rebus naturalibus magis esse audiendam, quam reuelationem. Rationem et reuelationem uno, eodem modo, et ordine, se habere. Rationem certi-

certitudine superare reuelationem. Reuelationis ueritatem, et diuinitatem, iudicandam esse ex ratione. Reuelationem datam esse ad corrigendam rationem aberrantem, adeoque recte eandem rationis, et philosophiae, ministram dici posse. Qualia a Lud. Meiero, Wolzogenio, Weyenio, H. A. Roellio, Henr. Hulsio, aliis, in medium adducta memini. Interim non defunt ex Cartesianis, qui mitiorem tenentes sententiam, rationi non quidem maiorem, eandem tamen certitudinem tribuunt. Quos inter merito Petrus Allinga, Burmannus, et alii, erunt referendi.

§. VII. Non ergo nouum est, quod in praesenti confutandum sumimus, sed nouo tantum σχήματι induatum. Omnia enim ad haec duo momenta reuocari possunt. Vnum est, an in rebus, quarum ex ratione clarae et distinctae sunt ideae, maior sit rationis, quam reuelationis, certitudo? Alterum, an rationis sit de Scripturae diuinitate, et ueritate, iudicare, adeo, ut ne quidem pro reuelatione haberi debeat, quod cum distinctis clarisque rationis ideis conciliari nequit?

§. IIX. Opposuit se Lockio, uir non minoris ingenii, Petrus Poiretus, in peculari, qui inscribitur: *Fides et Ratio collatae*, libro. Ex qua controversia uidere licet, quomodo et in excessu, et in defectu sententiae oppositae saepe numero peccent. Quam enim

enim Lockius nimis uehit rationem, hanc Poiretus nimis deprimit, Fanaticismo, et Enthusiasmo, cuius dudum a Tilio, et aliis, insimulatus est, indulgens. Quare ut hi scopuli euitari eo rectius possent, edidit Io. Wolfgangus Iaegerus, Theologus Tubingensis, *Iudicium sine affectu de duobus Aduersariis Io. Lockio, et Petro Poireto, eorumque pugna de Ratione, et Fide.* Quod forma disputationis prodiit Tubingae A. M. D. CC. VII. Iaegero addi poterit Dn. D. Io. Franciscus Buddeus, in *Theol. Mor. P. i. cap. i. Sect. 2. §. 21. et 23.*

§. IX. Antequam nostrum, qualemunque, afferamus iudicium, opus erit de ratione discere, quae non uno accipi modo solet. Sumitur enim mox subiectiue, pro facultate, quam homo habet, ratiocinandi, unum cum alio compendi, unum ex alio inferendi, unum ab alio distinguendi. Quae facultas, et si intellectui propria est, intellectum tamen totum non exhaustur. Id quod unusquisque facile deprehendet, si modo in se descenderit, utut non negem, dari non nullos, qui rationem eandem cum intellectu faciant. Qui tamen tel *συνέδοχης* censendi sunt loqui, uel rationem, in sentu paululum laxiore, accipere. Postmodum sumitur obiectiue, pro principiis, natura notis, siue sint ea innata, siue ab

ab obiectis demum externis, sed naturali Intellectus facultate, hausta et petita. Hae sunt communes acceptiones, quarum tamen neutra in praesenti quaestione a Lockio speciatim attenditur, cui ratio, quam fidei contradistinguit, nihil est aliud, quam assensus propositioni ob evidentiam datus. Ita enim eandem describit l. c. §. 2. *Ratio nihil esse uidetur quam certitudinis inuentio aut probabilitatis propositionum ceu ueritatum, quas mens attigit per deductiones ab Ideis, quas ex naturalium facultatum usu, uel, quod idem sonat, per sensationem aut reflexionem assecuta est.* Nec est, quod penitus hanc acceptiōē uelimus prescribere, quam, nisi me omnia fallant, nostrates etiam Theologi suo modo probant. Interim priores duae, a nobis commemoratae, excludi hic nec possunt, nec debent. Nam ipse Lockius naturalium facultatum usum requirit. Assensus autem nititur potissimum principiis claris, et evidētibus.

§. X. Quibus praestructis, dicimus: (1) *Ratio, subiective considerata, sua se praestantia quam maxime commendat.* Per hanc enim a brutis, quibus post Pythagoram, aliosque, male nuper rationem tribuit Ienkinus Thomasius, distinguimur. Haec est illud ipsum instrumentum, quo ueritatem in obiectis latitatem, eruimus, et quantum fieri

B

poteſt

potest, feliciter assequimur. Nam frustra sunt, qui Intellectum pro facultate tantum habent passiva, et qui ita existimant, non possunt aliter, quin in Fanaticismum tandem se praecipites dent, quod suo nos edocuit exemplo Petrus Poiretus. Is enim ut ostendat, quo pacto perceptio idearum fiat, nescio quae, effluvia, ex DEO, Intellectui intime praelente, prodeuntia, sibi singit.

§. XI. Interim tamen (ii) *multis obnoxia est imbecillitatibus*. Christianis eo minus de assertio-
nis huius ueritate dubitare licet, quo clariora
de Peccato Originis in sacris literis extant testi-
monia. Quod cum in locum Imaginis Diuinae
successit, uoluntatem non modo, sed et Intel-
lectum infecit, ut ille nunc ignorantiae, errori-
bus, aliisque uitiiis sit obnoxius. Nec ullus, opini-
or, erit, qui non ipse talia subinde experiatur,
si quando in re quadam, siue inquirenda, siue in-
uenienda, occupetur. Laudabilem hic praestite-
runt operam Franciscus Sanchez, nec non Hirn-
heimius, quorum tamen uterque maiori dignus lau-
de esset, si tantum auream, quae ubique placet, me-
diocritatem tenuisset. Taceo, quae in hanc rem
scripsit Makenzeus, tanti a Graeuio necnon Rae-
tenbeccio habitus, ut iterata eundem editione
fuerint dignati.

§. XII. Ex his nunc (iii) liquidum est, quid
de certitudine rationis sit iudicandum. Scilicet
quin

quin ratio certo aliquid assequatur, dubitare nos non sinit eius praestantia, supra adstructa, quae etsi inclinata sit per lapsum, emendationem tamen recipit, et in obiectis, supra eius sphäeram haud positis, eo gaudet uigore, ut ista intelligere, et apprehendere possit. Quod nemo temere negauerit, nisi Fanaticismi Patronus. Hanc enim diuinau relinquerre debebat Intellectui Supremum Numen, ne homo haberet, quod in ignorantiae, aut errorum qualemunque patrocinium obuerteret. Non ergo de certitudine, in se considerata, sermo esse potest, sed de eius gradibus, respectu nempe habito ad reuelationem, utrum scilicet ratio, an uero reuelatio maiorem certitudinem praestet? Atque ita non possumus non illam tribuere reuelationi.

§. XIII. Causa, cur id asseram, haec est. Ratio nostra admodum est corrupta, multisque laborat imperfectionibus, unde et saepius grauisime hallucinatur. Contra reuelatio est a DEO, de quo persuasus sum, quod nec fallat, nec fallere adeo etiam possit, quicquid Cartesiani, et in his Lud. Wolzogenius, contendant. Quare unusquisque facile intelligit, maiorem dari certitudinem in illis, quae reuelationis sunt, minorem uero in iis, quae beneficio instrumenti, adeo corrupti, et in multis grauiter aberrantis, demum sunt eruenda.

B 2

§. XIV.

§. XIV. Quodsi igitur de mente, ac sententia reuelationis liquido constet, ab huius omnino partibus stare tenemur, nec par est, eandem ad rationis detorquere siue captum, siue praescriptum. Bene est, quod ipse Lockius obiecta fidei hic excipiat, si modo copiosius ea de re exposuisset, ut unusquisque intelligere posset, quantopere sententia eius a Tolandi, aliorumque sublestis hypothesibus distaret. Recte quoque facit, quando reuelationi primas praeratione tribuit, in iis rebus, quas probabiliter saltem ratio assequitur. In reliquis, quae ex ratione euidenter innotescunt, caute procedendum est, idque eo magis, quia nobis non semper interior rei natura, et essentia, adeo liquido constat. Hinc fieri potest, ut nos uel in rei causam excitemus, quae tamen uera non est, uel aliquid clarum, distinctumque, esse arbitremur, quod minime omnium ita fese habet.

§. XV. Absit interim, ut rationem reuelationi contrariam dicamus, quae fuit quondam sententia Dan. Hoffmanni, Wilhelmi Schilligii, Io. Schraderi, nec non Io. Mulleri, ipsis argumentorum ponderibus a Cornelio Martini, Io. Caselio, Alberto Grauero, Iacobo Martini, aliisque, oppugnata, ut mirer, potuisse ex recentioribus, Virum ceteroquin eruditissimum, Petrum Baelium

Baelium crambeni hanc recoquere. Hic enim
perpetuum uidetur Theologiam inter et Philosophiam
inxisse bellum , quod tamen ita praefat⁹
ut rationem mox nimium euehat , mox dicterioris
quibusdam proscindat. Possemus argumenta eius
sub qualecunque examen reuocare, nisi id solide
iam praestitisset Illustris Leibnizius, in Praefat. ad
librum Gallico idiomate conscriptum : Essais de
Theodicee. Quaedam saltem breuiter afferemus,
ut quid tota de re sit sentiendum , habeamus per-
spectum. Est quidem non nego, rationis de contra-
dictoriis dispicere; Cum uero ratio non semper in
omnipotentiam Diuinam penetret , absit , ut sepe
reuelationi obiciat. Recte enim ex nostratisbus
dixit iudiciosissimus Theologus Hulsemannus :
DEVM posse contradictoria facere , et inateriali-
ter , et formaliter talia , non quidem in se , quae
Cartesianorum est opinio , sed in respectu ad no-
strum Intellectum , qui propter suam imbecillita-
tem , et quos agnouit , limites iudicium ferre ne-
quit , quid DEVS per omnipotentiam suam , ean-
demque independentem , et infinitam , praestare
possit , uel non possit. Hinc contradictionem illi
inuoluere uidetur , quae nulla est. Quare si talem
deprehendat pugnam , reuelationem inter et ratio-
nem , suam potius profiteatur ignorantiam , aut
alio atque alio respectu rem perpendat , et aesti-
met,

met, atque sic, opinor, mox clara erit, omnisque
exspirabit contradictio.

§. XVI. Haec si ponderasset Lockius, ab
stinuisset, credo, ab exemplo, quod affert de
corpo uno, in pluribus locis. Non nouum qui-
dem illud est, sed iam pridem a Religionis istius,
cui adstipulatur, sociis adductum. Hinc eo minus
illum fugere poterant, quae nostrates semper re-
gesserint. Verbo: Corpus consideratur non iuxta
consuetum naturae cursum, sed in respectu, ad su-
pernaturalem, et infinitam Dei omnipotentiam,
per quam hoc fieri posse credimus, si reuelatio
accedat, et claris id luculentisque, quae absque
insigni detorsione aliter intelligi nequeunt, uer-
bis proloquatur. Quid? quod Leibnizius ex prin-
cipiis id declarare physicis uoluerit. Cuius uiri
ingenium etsi nemo non admiretur, malumus ta-
men ab iisdem abstinere. Nobis allegasse sufficit
diuinam omnipotentiam, per quam hoc, reuelatione
teste, effici omnino potest, quamuis modum
ignoremus. Lateat is, nam rei ipsius ueritatem
eius ignorantia non infringit. Multa sunt in foro
physico, quae nos quotidie intuemur, sed cum
illorum dandae sunt rationes, tales saepe nume-
ro afferuntur, p[re]a quibus eruditiores malunt
εποχὴν amplecti. Proscribunt Cartesiani qual-
itates Peripateticorum occultas: Ast quam mul-

ta

ta, bone Deus! in illorum inuentis, effatis, ac sententiis adhuc sunt incerta, quae passim ab aliis notantur, et proscribuntur. Nonne igitur hominis est, revelationi, quae a DEO profecta, fidem potius habere, quam ad decempedam eius omnia exigere?

§. XVII. Sed nunc quaestio eo dilabitur nostra, unde sciam, uere a DEO profectam esse reuelationem? Hic enim Lockius, cum aliis, quos supra nominauimus, rationem unice audiendam esse dicitat. Ast gratis haec dicuntur. Suppetunt enim alia argumenta. Ipsa reuelatio sufficit diuinitati suae adstruendae. Haec uim habet de sua ipsius ueritate homines conuincendi. DEV Senim, a quo proficiscitur reuelatio, non mera uerba loquitur, sed uerba, in quibus Spiritus est, et uita, quae duvāμε gaudent, et efficacia. Atque sic suauiter iuxta et potentissime ad assensum, reuelationi praebendum, permouere homines potest. Quam efficaciam Lockius uidetur inficiari, cuius quippe ne uerbulo quidem, quod facere debebat, mentionem iniicit. Vnde mirum non est, quod in toto hoc argumento minus reuerenter philosophatus sit. Pluribus persequi haec possem, si modo falcem liceret in alienam immittere messem. Videant de ipsis uerius Theologi, qui Scripturae efficaciam aduersus Rathmannum, Fanaticosque homi-

homines, nec non alios, idoneis argumentandi rationibus adstruxerunt.

§ XVIII. Atque ita, ut ego arbitror, sententiis Lockianis neruus incisus est. Ex quibus tantum desumi responsionis poterit, quantum ad retundendas reliquas obiectiones satis est. Nam πρῶτον Φεῦδος, quod Lockium in hanc perduxit sententiam, illud est, quod efficaciam reuelationis, aut internum, quod Theologi nominant, Spiritus S. testimonium non satis perpendisse uideatur. Hoc enim uilipendere plerumque istiusmodi furfuris homines solent. Id quod Io. Clerici pariter exemplo constat, quem non indoete ab Immanuele Praeleo oppugnatum esse memini. Nos hic subsistimus, Deumque ueneramus, uelit ille reuelationem, quam nobis concessit, sanguinem semper testamque ab hominum maleferiotorum insultibus conseruare, ne unquam norma careamus, quam in rebus, ad fidem, moresque pertinentibus, sequamur.

T A N T V M !



01 A-6731

ULB Halle
004 122 828

3



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



Q. D. B. V.

IO. LOCKI

SUBLESTAS

DE

RATIONE SENTENTIAS

AV SPICIIIS

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI

PRINCIPIS REGII ATQUE ELECTORALIS

DN. FRIDERICI AVGUSTI

PRAESIDE

M. CHRISTLIEB GOTTWALD
WABST, DRES.

PUBLIC EXCVTIET

RESPONDENS

JOHANNES GODOFREDVS SCHÜLER, DRES.

AD D. XX. OCTOBR. MDCCXIV.

VITEMBERGAE;
FORMIS SAMVELIS KREVSIGIL